

M. Walther



05

A

1325





1709. 2133

X

Q. D. B. V.

DISPUTATIO THEOLOGICA

De

CONCURSU DEI,

QVAM
SUB PRÆSIDIO
VIRI

Summè Reverendi, Magnifici,

Amplissimi atqve Excellentissimi

DN. MICHAELIS VVALTHERI,

SS. Theol. Doctoris ejusdemqve Pro-

fessoris Publ. longè Celeberrimi, Alumnorum Elect.

Ephori Gravissimi,

Dni. Patroni, Hospitis & Præceptoris

et atè venerandi,

instituit

AUCTOR


M. JO. GEORGIUS Neumann/

Fac. Phil. Adjunctus.

Ad diem XV. Maj. Ao. MDCC LXXXVIII.

H. L. Q. C.

Wittenbergæ, Typis C. F. INCELII.



20



DISPUTATIO THEOLOGICA

CONCURSUS

ANNO DOMINI 1775

IN THEOLOGICA FACULTATE

PROFESSORIS P. J. L. ...

DE ...



... RECTOR ...

5231 A 1325

M. J. GEORGIUS ...

Fac. Phil. Adjunctus

1775

H. C.

W. ...





I. N. J.

Thesis I.



Vam spectamus oculis nostris & admiramur, vastissimam rerum machinam, uti nec collapsam vi, aut constructam sine maximo opifice; ita nec consistere mole sua vel gubernari sine prudentissimo rectore posse, omnium liquidissime constat. Quorum alterum cum creationis divinae, alterum providentiae nomine insigniatur: non nisi ejus esse haec tanta opera intelligimus, qui verbo virtutis ac potentiae infinitae sustinet omnia & moderatur.

Thesis II.

Ac providentia quidem illa, ejusmodi DEI trinunius actio est, qua non modo res a se conditas universas *Col. I. v. 17.* *Heb. I. v. 3.* ac singulas, coelum, terram, nubes, ventos, Angelos &c. *Pf. CIV. v. 2.* *Pf. CXLIX. v. 1.* spiritum nostrum *Job. X. 12.* animas *Pf. XC VII. v. 10.* viam *Prov. II. v. 8.* ossa nostra *Pf. XXXI V v. 21.* capillos *Matth. X. 30.* potentissime conservat: sed etiam in

B 2

earum-

earundem actiones & effectus concurrunt, adeoque in productionem herbae & pluviae *Hiob. XXXIX. v. 28.* Concitationem fulguris *Psal. CXXXV. vers. 7.* hominum generationes *Psal. CXXXIX. v. 14, 15. Hiob. X. v. 10.* motiones & operationes omnes *Es. XXVI. v. 12. Act. XVII. 28.* suavissime coinfluit: denique etiam haec universa sapientissime gubernat, cum justis de causis quasdam actiones aberrare a lege permittit, *Psal. LXXXI. v. 13. Act. XIV. v. 16.* alias pro arbitrio suo constringit & impedit *Jos. X. vers. 13. Dan. III. vers. 21.* has in finem a se praestitutum dirigit *Gen. L. v. 20. Rom. IIX. v. 28.* illas determinat certisque limitibus circumscribit. *Eccles. III. v. 2. Job. I. v. 12. II. v. 6.* Unde adeo in tres potissimum actus disilit providentia illa: quos eò nunc defendimus fortius, quò ab Empæctis Scepticisque & inertibus Epicuri affectis validius impugnantur.

Thesis III.

Misis impraesenti reliquis, de *Concurso Dei* in actiones humanas, quae paulò abstrusius disputantur, in compendium mittemus. Et ille verò, praeterquam quod indubitato Dei sermone adstructus jam est: etiam mentis ope & colligendi artificio sic innotescit: Si enim creaturae dependentiam a Deo dicunt in fieri seu esse primo, per Th. I. non possunt non ab eodem dependentiam inferre in conservari, seu esse continuo: quandoquidem dependens quò tale nullo tempore, nullaque conditione, ac ne di aduvaris quidem reddi potest independens. Positò autem evictoque, creaturas a Deo in conservatione dependere, per illatam hactenus conclusionem: ultrò consequitur, dependere simul ab ipso in operatione. Quod enim ens per influxum conservativum a Deo dependet, illud, si a cooperativo influxu suspenderetur in agendo; dependen-

dependens idem esset ac independens, quæ tamen ipsa se tollunt mutuò ac perimunt.

Thesis IV.

Assertâ in hunc modum realitate concursus divini, non existimamus formaliter illum absolvi volitione Dei, ceu illis Thomæ interpretibus visum est, qui concursum ad intra alium, alium ad extra constituunt. Sicut enim creare non est idem, quod velle Dei, ut res existat: ita nec cooperari idem ac velle Dei, ut res operetur, & in effectum prorumpat. Et volitio quidem actus Dei immanens est, intraque sinum Deitatis subsistit: cooperatio contra volitionis executio, in ipsis creaturis terminum realem nanciscitur. Quod adeo dubium non est, ut vel Scriptura S. iudice hi actus distingvantur: *Psal. CXV. v. 3. Deus quæcunque voluit, fecit. Ps. XXXIII. vers. 9. Ipse dixit & facta sunt ipse mandavit & creata sunt.*

Thesis V.

Neque motionem tantum rerum creatarum aut excitationem sive impulsum arguitive infert concursus ille, quod aliquorum est placitum: Hoc enim pacto solum terminaretur ad causam, non æquè ad actionem vel effectum causæ coagentis; nec multò aliam, quàm causæ moralis indueret conditionem, effectu non per influxum entitativi attactus proprium, sed per imputationem saltem ad Deum relatò. Rectiùs nos sapere sacræ literæ jubent: Qui enim *carne & pellibus vestire hominem Hiob X. vers. 12. omniaq; opera nostra operari Esa. XXVI. vers. 12. diserte prohibetur, illum intra causæ moralis conditionem hóc collocamus minùs, quo propiùs effectum attingit, realiqve &*

proprio influxu eundem producit. Relinquitur adeo, nihil aliud definitivè inferre concursum istum, quam positivam actualemque coinfluentiam, qua Deus in actiones & effectus causæ secundæ, qua tales se & ipso immediatè, totaliter & simul cum ea & juxta exigentiam uniuscujusque suaviter influit.

Thesis VI.

Concurrit itaque Deus in actiones & effectus quæ tales: quem loquendi modum non est, cur solius intellectus præcisionem cum Arriagâ appellemus, rei explicandæ quidem, at non decidendæ, idoneam. Nam actiones in entitate sua & substantia spectatæ, ut exercitia facultatum naturalium sunt, non mentis saltem operatione aliqua, sed reipsa ab *ἀναξία* & malitia adhærente distinguuntur. Similiterque effectus, in quantum positivam entitatem dicunt à causa in agendo productam, realiter diversi sunt à defectu, quem causa in agendo deficiens post se reliquit. Jam de actionibus atque effectibus quæ talibus, in sensu reduplicativo spectatis ambigere non licet, quin DEUS in illos concurrat: quandoquidem actu procreativo essentiam creaturæ à termino negativo ad positivum evexit, conservativò naturam & vires hodiernum sustentat, cooperativò denique in actiones atque exercitia facultatum coinfluit: Quæ singula pulcerrimè connectit Apostolus: *In DEO sumus, vivimus ac movemur Actor. XVII. vers. 28. Ἀναξίαν* verò & defectus vitiosos, DEUS vel ideo producere nequit, quia ab eodem nec creari nec conservari propriè loquendo possunt.

Thesis

Thesis VII.

Quod ut luculentius pateat, minimè sufficit Adriani Heerebordi distinctio, quâ Deum non in actionum quidem malitiam, at in actiones malas tamen coinfluere tradit. Nam ab actionibus malis ut talibus, ipsa vitiositas inseparabilis est, idemque à causalitate peccati non absolvitur, qui in actiones malas quâ tales statuitur cooperari. Nec felicius expediunt cum Svarezio suo Pontificii homines, qui ut à Deo omnem mali suspicionem amoliantur, formalem ejus rationem non positivum quid dicunt, sed privationem quandam debitæ rectitudinis ad actum consecutæ; unde adeò, cum nihili quid peccatum existimant, rectè consequi ajunt, à Deo illud ceu auctore non proficisci. Verùm ad scopum hunc non collimat hypothesis. Privatio enim non aliter fit, quam producendo entitatem physicam, in qua ex accidenti consequitur illa, cum per se non detur actio ad privationem. Sicut igitur homo peccans non secus est causa peccati & moralis privationis, quam producendo actum physicum, ad quem sequitur illa negatio: ita Deus producendo actum illum eadem actione cum homine, æquè ac homo censendus erit causa defectûs hinc consecuti, nec per hanc hypothesis liberabitur à causalitate peccati. Deinde quam minimè illud timendum periculum erat: quia cum positivum quid appellatur peccatum, non entitativum illud ac metaphysicum insinuat, quod sub divinam potentiam cadit: sed morale & analogicum, quale in habitibus vitiorum moralibus deprehenditur, continuâ malè agendi consuetudine contractum. Quod cum appetitum mali inducat, Gal. V. v. 17. pravæ cogitationes generet Gen. VI. v. 5. odium adversus Deum foveat. Rom. IIX. v. 7. non simplicem privationem, sed habitum simul corruptum cum Apologia nostra vocari par est.

Thesis

Thesis IIX.

Nihil autem à vero absunt, qui factò inter materiale & formale peccati discrimine, Dei concursum à posteriori quidem non à priori suspendunt. Non obstat, quod extensio manus in furto, ut materiale, à vitiositate ceu formali, ipso actu non separatur: ipsaque vitiositas furti haud aliter quam producendo istam manus extensionem produci potest. Videbitur enim Deus saltem concursu suo actum vitiosum com-
producere, si eandem numero extensionem, quæ furis est, immediato concursu comproducat, cum tamen id non faciat.

Thesis IX.

Determinatio igitur causæ particularis ab indifferentia & indeterminatione causæ universalis diligenter distingvi debet. Omnis enim ratio culpæ vel actionis *à causa* ab illa causa profiscitur, quæ actionem determinat, specificat legi quæve difformem reddit: determinatur autem, & mala evadit à causa particulari, in agendo deficiente: Non igitur ad concursum Dei refertur, quippe qui actus saltem universalis causæ cooperantis est, nec materiale actionis vitiosæ ad ultimam ejus formam deficiendo determinat. Integrum verò id homini esse, ut voluntas ejus sese non modò ad speciem, sed & exercitium actus determinet, contra Scotum ac Mendozam sic ostendo. Causa prima & universalis est indifferens ad omnes actuum species, ut actus sunt, quia continet in sese omnes virtutes & rationes perfectivas, quas per suam providentiam denegare creaturis indigentibus nequit: præsentissima efficaciter, si qua saltem à causa secunda cooperandi occasio præbeatur, ut occasionalis inde, & objectiva determinatio rectè appelletur. Si enim quæritur, cur Deus concurrens cum homine
gene-

generante non producat aquilam ? appositè respondetur, quia homo naturâ determinatus ad generationem hominis, non aquilæ, ingressus ad generandum præbuit Deo occasionem generandi hominem; prorsus autem ridiculè: quia homo concurrat cum Deo, cuius concursus perinde ad aliud provocari poterat, si ad quicquam aliud homo se applicasset. In moralibus quoque Deus permittit, hominem quod libet agere. *Optio vobis datur*, Josua ad populum ait, **ELIGITE** hodie quod placet, cui potissimum servire velitis? **UTRUM** Diis, quibus servierunt Patres vestri in Mesopotamia, **AN** verò Diis Amorhaeorum *Jos. XXIV. vers. 15.* Ergo influxus divinus non prohibuit, quo minus inter duas species actus eligerent vel cultum Dei verum, vel Idololatriam. Neque verò non ad actus exercitium sese determinat causa particularis. Positis enim omnibus ad agendum requisitis exigit illa concursum Dei, quem illicò reperit ordinariè promptum, neque tamen impediens, quo minus illa ad operandum accommodata, & agere & non agere possit. Ananias agrum *liberè vendidit*, quem poterat *non vendere*: pretium *accepit*, quod poterat *non accipere*, dati acceptique partem *donavit*, quam poterat *non donare* *Actor. V. v. 3. seq.* Ex quo determinatio etiam quoad exercitium actus non obscure colligitur. Jam, simul ac motus physicus causæ particularis in essentia sua à Deo comproductus ad ἀταξίαν sive formale peccaminosi actus inclinatur, desiderio fertur, proximè sese accommodat & ἀπολύτως determinatur; causa prima ad cooperandum provocata, nec naturæ nec viribus nec virium exercitiis concursum ordinarium subtrahit, sed malitiam velut actionis speciem uti nec determinat, ita nullo causarum genere ad eam cooperatur. Nec enim inclinare ad istud potest, *quod non vult* *Psal. V. vers. 5.* nec desiderare, *quod odit* *Zach. IIX. vers. 17.* nec sese accommodare, ad id, *quod ne quidem in cor ejus ascendit* *Jerem. XIX. vers. 5.*

B,

nec

nec denique determinare quod detestatur & punit. Exod.
XX. vers. 5.

Thesis X.

Quo sic confectò, de modo influxûs divini proximum est, ut disquiramus. Ac omnino quidem à Durandi, Aureoli Lalemandeti aliorumque partibus disfidemus, qui causam operationis non aliam docuerunt esse Deum, quam remotam nec in actionem & cum actione causæ secundæ in effectum influere, sed istud solum efficere, ut vim agendi eidem imprimat, & voluntatem, quam liberam sive ad agendum & non agendum indifferentem condidit, liberam quoque & indifferentem conservet. Obstat enim omnipræsentia Dei substantialis, quæ stylo Biblico operationem præsentissimam includit: *Jos. II. vers. 11. Psal. CXXXIX. vers. 7. seqq. Jer. XXIII. vers. 24. Amos IX. vers. 2.* adeoque non immediationem virtutis tantum in cooperando infert, quæ ratione sol omniaque sidera calefactione occultaque qualitate spiritaliter emanante in hæc inferiora influunt: sed etiam immediationem suppositi, quæ substantia sua, se ipso causam atque causatum ita attingit, ut quævis actio & quivis subinde effectus cum à creatura & causa particulari, tum à Deo ceu prima & universali proficiscatur. Quod sic connecto: Quæcunque dependentia causa secunda dependet à Deo in esse primo & continuo, eadem quoque dependet in operando per *Thes. III.* Atqui dependentia immediata, quæ maxima Scholasticis appellatur, causa secunda dependet à Deo in esse primo & continuo. E. Si de immediatione virtutis saltem concedatur Minor: Ita rehero: Si Deus cooperatur immediatione virtutis, Ergo vel maxime immediatione suppositi, quia virtus & suppositum in Deo identificantur. Quod argumentum Trigosi est quò
in

in eâdem causa Cajetanum convicit: sed longè firmitus illud, quod ex sacris conficimus: Qui ut *Pater generat pluviam*, *Hiob. XXXIIX. vers. 28.* qui caractere suppositi: *עֲשֶׂה*, *operari se* dicit *Johan. V. vers. 17.* cuius *manibus plasmamur*, *Hiob. X. vers. 8.* in quo velut in suppositi præsentissimâ & efficacissimâ operatione *movemur Actor. XVII. vers. 28.* ille non virtutis tantùm sed suppositi simul immediatione in actiones atque effectus concurrat: quia hujusmodi actiones non nisi à suppositis proficiscuntur.

Thesis XI.

Neque verò concursu immediationis suppositalis excluditur operatio creaturarum, nec eo sensu *1. Cor. XII. v. 6.* Deus dicitur *operari omnia in omnibus*, ac si ad otiosam illarum præsentiam, solus ageret ac produceret effectus: sed independentia saltem & agendi nobilitas innuitur, quæ in nullam creaturam cadere unquam potest. Utiqve enim superest causis secundis operandi vis in primævâ rerum creatione implantata *Genes. I. 28.* & quem Deus ipse effecisse dicitur hominem *Ps. C. vers. 3* idem & à muliere conceptus natusque perhibetur *Hiob XIV. v. 1.* Secus ac Gabriel Biel, Petrus ab Aliaco & alii docent, qui causis secundis operationem adimunt solique Deo omnia opera & effecta adscribunt.

Thesis XII.

Tametsi autem utriusque causæ concurrentis actiones ut sic & formaliter distingvantur: quod enim Deus confert, id ipsum creatura conferre formaliter nequit, quia Deus, ut causa prima pro virtute sua independenti, homo ut causa secunda pro virtute dependenti coinfluit: tamen cum in agen-

B2

do con-

do constituuntur creaturæ ad producendos effectus suos, un-
nà cum ipsis Deus cooperans à parte rei unam eandemque
numero actionem eundemque numero effectum edit ac
producit, salvâ ordinis causandi diversitate: Qui enim in &
cum Deo moventur *Act. l. c.* illorum motiones à divina
operatione separari realiter non possunt. Ceterum illud
paulò difficilior quæsitum est: an utraqve causa totalis, com-
pleta & adæquata appellari possit, nec repugnet causæ totali
alterius totalis consortium in unius ejusdemque effectûs pro-
ductione? Pro qua sententia Scotus, Cajetanus, Soncinus plu-
resque alii pronunciant. Si enim una causa efficit effectum
ut causa totalis: vel alia nihil agit, adeoque falso appellatur
causa; vel actum agit, & hoc contradictorium vel ideò est,
quia agere est rem à non esse ad esse provehere, quod igitur
actum ab una causa, illud jam extra non esse ponitur, nec po-
test fieri ab alia. Verum tùm demum aliquid conficeret ar-
gumentatio, si vel ejusdem generis adeoque æquales causæ
forent ad eandem actionem concurrentes, vel altera tempore
ac influentiâ anteverteret alteram nec concomitanter utraqve
in effectum producendo se haberet. Neutrum verò à nobis
asseritur, cum & diversi ordinis esse causas fateamur & uno e-
odemque momento ad producendum effectum convolare.
Quod tali exemplo probat Svarezius: Si duo ignes eidem
materiæ eodem modo dispositæ applicarentur, & naturaliter
agerent, quantum possent: coinfluerent sanè in unum eun-
demque effectum: at uterque ignis ageret ut causa totalis
quia supponitur unumquemque habere sufficiens princi-
pium ad totum illum effectum edendum. Quod si in eodem
causandi ordine id non implicat; nihil causæ est, cur in or-
dinis causandi diversitate contradictorium quid metua-
mus.

Thesis

Thesis XIII.
Ceterum Deus simul atque eodem momento in actionem causae secundae ad agendum se determinantis influit, ut non nisi fictus sit & contradictorius concursus ille praevius, quem Dominicani atque Secus sentientes communiter comminiscuntur: comparatus modo equorum tractioni ad directionem aurigae, modo operationi artificis ad motionem dolabrae ac securis, adeoque in duas maxime species distinctus, quorum alteram physicam, moralem vero alteram appellant. Ac illa quidem ejusmodi praedeterminatio est, qua Deus causam secundam in agendo liberam & indeterminatam, forma quadam voluntati ejus, antequam haec concurrat immediate impressa ad alterum oppositorum, tum quoad specificationem, tum quoad exercitium ita efficienter coarctat, ut non possit resistere vel aliter operari, adeoque haec numero actio sive bona sive mala moraliter non possit non dari, ipseque effectus non possit non produci. Haec vero, quae Deus causam secundam in agendo liberam, relicta quidem ei potentia ad resistendum, sed observata tamen opportunitate loci, temporis, aliarumque circumstantiarum sibi soli cognitarum & a se paratarum, congruentium ad hoc, ut illa infallibiliter eliciat actum liberum, quem ipse eliciendum voluntate absoluta ab aeterno decreverat, adeoque citra causalitatem physicam, quae potentiam ad alteram partem coarctat morali modo, per persuasionem vel affectationem quaedam inducit. Quae vel sola utriusque speciei descriptio innuit: eripi per hanc assertionem, homini libertatem, Deum peccati auctorem constitui, ac ordinem providentiae divinae everti.

Thesis XIV.

Quamobrem ad nullas actiones sive malas sive bonas sic

B 3

prae-

prædeterminatur hominis voluntas, quin posita influentia, causæ primæ, posita etiam applicatione secundarum ad agendum, possit nihilominus voluntas in sensu diviso, actu scilicet secundo volitionis nondum existente, quoad actum exercitum agere vel non agere, sic vel aliter agere pro diversitate, objectorum. Ratio cum ex superioribus tum hinc dilucidè patet: Quia indifferentia ad agendum, quæ ad libertatem requiritur, non pertinet ad ordinem concomitantium actionem aut cooperantium, sed ad prærequisita: concursus autem Dei est cooperantis causæ non aliquid prærequisitum ad agendum *Conf. Ezech. XII. v. 12. Esa. V. v. 5. 6.*

Thesis XV.

Denique juxta uniuscujusque indigentiam cum causis secundis concurrat Deus; Non immutat agentium naturas, sed naturalia naturaliter, libera liberè agere patitur. Ac in subjectis quidem irrogenitis motus liberos in actionibus bonis non tantum per modum principii & concursus communis producit Deus, quod Anniniani dictitant, sed etiam per modum svasionis externæ sive objectivæ τὰ ποιήματα sistendo *Rom. I. v. 20. Rom. II. v. 15.* quin & svasione quasi internâ seu per suggestiones honestarum cogitationum ex objectis propositis resultantium *Rom. II. v. 14.* Imo per collationem virium ad electionem & exercitia rei honestæ requisitarum *Job. XXX. v. 15. 28. Rom. II. vers. 24.* Quæ tamen actio divina pro bonitatis ipsius thesauris liberè dispensatis magis & minus in Ethnicis recipit. *Rom. II. v. 4.*

Thesis XVI.

Sed in actu regenitis vel ad regenerationem tendentibus
actio-

actiones spiritualiter bonas producit Deus, cum *objective* per
verbi coe. estis praeconium *1. Pet. I. 23. Rom. X. 17.* cum *efficienter*
per collationem virium, quibus & *πρὸς τὴν ἰκανότητά* *2. Cor. III.*
vers. 5. & *πρὸς τὸ θελεῖν καὶ ἐνεργεῖν* *Phil. II. v. 13.* indigemus. De-
nique etiam *formaliter*, cum vires collatas divinaque virtute
suffultas in actum deducit, nec spicam solum sed plenas etiam
fruges procreat *Marc. IV. v. 28.*

Thesis XVII.

Sicut igitur voluntas divina effectiva bonorum est: Ita
permisiva malorum culpae; quae permissio causa mali non
est, quin potius ex justitia punitiva ob collatae gratiae contem-
ptum oritur. Permittit autem Deus malum, vel ut *virtutem*
in afflictis latentem aliis notam faciat ceu in Jobo conspicitur,
vel *salutem Generis humani procuret*, ut in morte Christi *Act. IV.*
v. 27. vel *superbiam frenet*, ut in Paulo *2. Cor. XII. v. 7.* vel *gloriam*
suam promoveat *Joh. IX. 3* vel ut *peccatum evitetur* *Luc. XIII. v. 34.*
vel *constantiam alii imitentur*, ut in Martyribus, vel denique
ut ipsorum affectus corrigantur, ut Damascenus loquitur.

Thesis XIX.

Nihil ergo iniqui Scriptura sacra Deo affingit iis in locis,
quos in praesidium causae suae obtendunt adversarii: cum vel
ad permissionem Dei innocuam: vel hominis solius culpam
ipsamet scriptura interprete id referatur. Sicubi Deus tradi-
disse *gentes in sensum reprobum* dicitur *Rom. I. vers. 24.* pulcre id
explicatur *Act. XIV. vers. 16. permisit eas ambulare in viis suis.*
Cum *Deut. XXIX. v. 28.* caecitas ac stupor cordis Deo adscribi-
tur auctori: commodè id interpretatur *Oseas cap. IV. vers. 16.*
sicut vitula rebellis rebellavit Israel, nunc pascit eos Jehova tan-
quam

2

quam agnum in latitudine. Rursus cum 2. *Thessal.* II. vers. 17. dicitur: *mittit illis Deus efficaciam errorum*; genuinus sensus redditur ab *Asaria* 2. *Paral.* XV. vers. 2. *Jehova vobiscum, cum fueritis cum eo, & si quasi fueritis invenietur à vobis, si verò dereliqueritis eum, derelinquet vos.* Ita *Matthaei* cap. VI. vers. 13. *Ne inducas nos in tentationem*, explicat *Jacobus*, cap. I. vers. 14. *nemo cum tentatur, dicat se à Deo tentari, sed unusquisque tentatur à propriâ concupiscentia.* Ita Deus neminem deserit nisi prius desertus.

Thesis XIX.

Plura de re difficili nec libuit disputare nec licuit, ipso met rei nervo, nisi omnia fallunt, incisô. Diffusio-rem verò meditati dissertationem venit in mentem Philosophi illius, qui cum de arduo argumento ad Amicum perscribit, veniam magnopere rogat prolixiorum literarum, quod tempus non suffecerit concisiores exarandi: eò plus otii deposci arbitratus, quo brevius quicquam & prescius perstringeretur. Tum & in Auctoribus allegandis verecundus & parcus fui, unius saltem, quo me profecisse fateor, honorifica mentione præmissâ. Ceteris rebus mihi ipsi legem posui, ne exigui momenti negotium audaciæ & temeritatis crimine temerarem.

F I N I S.




05 A 1325

ULB Halle 3
003 780 880



VSA 17





1909.2133 X

Q. D. B. V.
DISPUTATIO THEOLOGICA
De
CONCURSU DEI,

QVAM
SUB PRÆSIDIO
VIRI

*Summè Reverendi, Magnifici,
Amplissimi atque Excellentissimi*
DN. MICHAELIS VVALTHERI,
SS. Theol. Doctoris ejusdemque Pro-
fessoris Publ. longè Celeberrimi, Alumnorum Elect.
Ephori Gravissimi,

*Dni. Patroni, Hospitis & Præceptoris
et atem venerandi,*
instituit

**M. JO. GEORGIUS Neumann/
Fac. Phil. Adjunctus.**

Ad diem XV. Maj. Ao. cis 13c LXXXVIII.
H. L. Q. C.

Wittenbergæ, Typis C. F. INCELII.

20

